



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 1. Regnum Legionense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

Inter Nobiles primi sunt, qui Magnates dicuntur, vulgò *los Grandes*, qui coram Rege caput tegere, & in eius Capellâ sedere possunt. Militia Regia velleris aurei ex Burgundia traducta vulgò *de la Toison d'or*. In Castella quoque ordines S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ; in Aragonia Montefani, in Lusitania Christi, S. Iacobi & Auifij.

Exquisitum hîc quoque Politia genus ad scelera compescenda; pauci enim impunè scelera grauiora perpetrant. Habent enim homines industrios, qui fugitiuos indagent, & plerumque ex alienis regnis callidè ad pœnam retrahant. Hoc forum vocant *Herman-das* tempore Ferdinandi & Isabellæ excogitatum ad compescendas cœdes, & exinde singulari Regum curâ in magnam Reip. vtilitatem conseruatum.

## CAPVT II.

*De singulis Hispaniæ Regnis.*§. 1. *Regnum Legionense.*

**C**VIVS prima informatio fuit Regnum Ouetanum *d'ouiedo*, Caliter Asturiarum, sub Pelagio, ita dictum quod Legio Leon Mauris crepta regni huius sedes effecta est. Ex eo primùm Comites, & Gubernatores in Castellam, & Biscayam immittebantur: sed alia posthæc inducta fuit administratio, vt mox ostendemus. Regio hæc sterilior nisi in paucis vallibus.

§. 2. *Regnum Castellæ.*

**P**ARS Castellæ quam Mauri occupare non potuerant, aut iis erepta fuerat captâ Legionè, à Castello nomen accepit, quod excitauere Reges Legionis vt Mauros repellerent: & in eam agri partem Iudices, seu Comites submittebāt. Sed cùm perfidè euocatos Ordonius II. iugulasset rebellauere Castellani, & sibi Comites præfecerunt. Mox ad vnicum Ferdinandum Gonzalem tota ditio deuoluta est, ex quo prognati Castellæ Reges. Tandem sub Ferdinando Magno Legionense & Castellarum coaluerunt. Castella duplex Vetus & Noua. *Vetus* tantùm fertilis circa Valli-  
sole-